Iuris G. Tontoli,

presentata in Rota die 13. Ianuar. 1659.

R. P. SYpontinam Ecclesiam fuisse & esse Cathedralem & Metropolitanam, singulariter & priuatiuè quoad Collegiatam Ecclesiam S. Michaelis Terræ Montis S. Angeli seu Gargani, arguitur primùm ex ipsa Garganicæ Ecclesiæ institutione. Notissima enim constat historia (*quam refert Breuiar. Roman. in 2. Noct. die 8. Maij*) S. Laurentium Episcopum Sypontinum, Archangeli Michaelis admonitu, Gelasio I. Pontifice, anno circiter 492. speluncam sacram Garganicam visitasse, diuinisque cœpisse officijs celebrare. Constat insuper satis euidenter ex corpore iuris, in decretali Honorij III. Archiepiscopo Sypontino directa, in Causa correspectiua cōtra Garganicos: vbi Glos. & DD. *quæ sunt excripta in Memor. Sypontin. pagin. 58. lit. B. C.* Constat solemni Alexandri III. sententia diffinitiua in hac speciali controuersia: confirmata, reclamantibus Garganicis, à Lucio III. Cœlestino III. & celeberrimè demum in sacro Concistorio, Causa exquisitissimè recognita, ab Innocentio III. vt in studiosissima huius Bulla *in Memor. Sypont. pag. 1. & seqq.* quæ omnino legi debet. Constat ex quibuscunque Actis Summ. Pontificum, & Romanæ Curiæ: quæ innumera propè collegi *in Memor. Sypontin.* (originalibus in forma traditis Reuerendissimo Domino Decano, Ponenti) præsertim Relationes, quæcumque extant in Vaticano, Concistoriales ab anno 1573. vsque ad 1623. & supra viginti Apostolicas litteras, ad ipsius Capituli Garganici vel Conterraneorum supplicationem continuatè datas: de quibus infra. Et tandem ratione probatur. Cum enim Terra & Ecclesia Garganica sint in Sypontina & de Sypontina Diœcesi: cœteraque omnia Diœcesana Oppida, necnon Vestana Cathedralis Ecclesia suffraganea, Metropolitano vno Capitulo Sypontino, seu Manfredonio, potissimum vacante Sede subiectionem profiteantur, oritur inde iuris assistentia pro Sypontina contra Garganicā singulariter resistentem. *Sypontina Iurisdictionis, in recent. par. 1. decis. 491. num. 1. 6. Verall. decis. 306. par. 1. Mandos. in prax. signat. Grat. de exempt. ab Epis. §. omnes Ecclesiæ.*

Et cum Vnio, & exemptio sint odiosæ, nec præsumantur: probarique debeant contra habentem iuris assistentiam, vel quadragenaria cum titulo, vel immemorabili (*cap. 1. de Præscrip. in 6. Card. Millin. decis. 401. num. 1. cap. cum personæ, de Priuileg. in 6. Balb. de Præscrip. in 1. par. quint. princ. q. 12. nu. 4.*) Hinc de Garganicorum Titulo, & quasipossessione, præsertim immemorabili, tota erit nostra disputatio.

Immemorialem Garganicos prætendere non posse, validissimis facti & iuris probaui argumentis in scripto, quod contra Remissoriam exaduerso petitam exhibui in præterita positione Die 28. Iunij hoc anno 1658. quò me refero, ne omnino actum agere videar: vbi diserte etiam quemcumque eorum titulum improbaui. Summatim repeto, Immemorialem explodi. Quia constat de certo initio & Titulo à Garganicis solemniter allato. Quia deducto tempore litis (de qua infrà) mortui excitandi essent qui testarentur. Quia solo rumore contrario fit improbabilis: quantò magis innumeris actis contrarijs, per instrumenta exquisitissime comprobatis.



Quia nullà datur præscriptio extinctiua contra Superiorem Ecclesiam ; sed translatiua . vnde hoc casu probanda essent scientia & consensus Papæ pro exemptione Garganica, eiusque quasi possessione : cuiusmodi nulla datur ; imò contrarium multifariam & pleniffimè ostenditur . Quia iurisdictio priuatiua aduersùs superiorem non admittitur, non probata huis aquiescentia . Quia quam pluribus proprijs confessionibus, & actis, Capitulares Garganici , ab antiquissimo & medio tempore, subiectos sese monstrarunt Sypontinæ Metropoli . Quia Garganicorum eorumdem prætensa Metropolanitas est absurda : eiusque quasipossessio non datur repugnante Diœcesi , & suffraganea Ecclesia. alijsque rationibus . Quæ omnia authoritate firmaui , & facto , in positione prædicta : & infra satis comprobabo .

Inquirendum est igitur de Titulo . Tres efferunt Titulos Garganici . *Primum* ab Alexandro III. *Alterum* à Bonifacio IX. *Tertium* à Iulio III. *in Collect. Garganicor. pag. 31. in princ. 33. & 34.* Sed quoad primum & tertium irridendi sunt . Nam Alexandrum III. contra eos diffinitiue decreuisse , perpetuæ memoriæ tradita adulteratione Bullæ Eugen. III. ab eisdem peracta , confirmato decreto à tribus Papis successoribus , iam prædixi : *& patet in Memor. Sypont. pag. 2. F.* Iulij III. litteræ , nedum tres nostræ sed quas afferunt Garganici vnas , sunt ipsis contrariæ . *vt Collect. Garganicor. pag. 11. & seqq. & in Memor. Sypont. pag. 8. & 9.* Alexandri III. Epistolam quandam solemniter habent in lapide scriptam (*vt in Collect. Garganic. pag. 5.*) In qua, prout etiam in Litteris Iulij III. inutiles quasdam narrationes anteferunt : quæ nihil releuant , eo etiam nomine quòd litteræ Apostolicæ nisi disponant non inducunt titulum putatiuum. *Penia, in Montis Regalis Iurisditionis 18. Decembris 1598. num. 15. in impres. Venet. decis. 586.*

STATVS CAVSÆ idcirco est : An Bulla Bonifacij IX. sufficientem titulum præbeat Garganicis.

Hanc Bullam exscribo , & expendo , *in Collect. Gargan. pag. 6. & seqq.* & integram etiam refero *in Memor. Sypont. pag. 74. lit. O.* insertam in Reuocatoria Ioann. XXIII. Atque de ea cum duo sim probaturus : Reuocatam nempe fuisse : Nullamque proximam nec remotam obtinuisse obseruantiam : hinc identidem Immemorialis incompetentia comprobabitur .

Quanti vero ipsa Bonifacij Bulla Garganicis sit ponderis & opportuna , contestor ipsos Causidicos aduersarios : qui nouissimè apud Sanctissimum in Signatura, & præcedenti positione in Rota consultissimè illam suppresserunt . Aduertentes Immemorabilem non suffragari dato certo initio & Titulo: etiam si Titulus esset supra centum annos. *optimè Rot. in recent. par. 7. decis. 56. nu. 18. & seqq. Et Reuerendiss. Dominus meus Decanus in Pampilonen. Vicariæ de Stella 3. Iun. 1643. sub §. Talem autem esse. in fin.* Maximè si principium & Titulus essent infecta & inualida : tum enim Immemorialis quantumuis legitimè probata nihil prodest . *S. Cong. Concil. apud Barbos. Summ. Apost. decis. verb. Possessio immemorialis . Et Rot. recent. par. 6. decis. 137. num. 6.* Priuilegio enim non suffragante , nec quasi possessio suffragatur. *Seraph. decis. 628. num. 1.* bene in terminis Card. Millin. *decis. 401. num. 2.*

Porrò eam frustra nunc celare satagunt . Illam enim A. C. anno 1643. in criminali iudicio , pro specioso titulo præsentarunt. *vt apparet in Actis Notarij Floridi : e quibus eam exscripsi in Collect. Gargan. pag. 6.* Illaque etiam ciuiliter vsi sunt apud

apud eumdem A. C. cum deinde per contradictas, mortuo Sypontinorum Procuratore, Sypontinis omnino inscijs & inauditis, Manutentionis decretum extorquere in hac Causa conabantur. quod frustratim sæpè exagerarunt: vt etiam in prætetita positione in Rota. Et in Broliardo Notarij Floridi, eius Bullæ cæterorumque iurium Ciuilis repetitio & reproductio apparet. Illam Archiepiscopis primum Garganicam Terram ingredientibus, Capitulum totum Communitasque Garganica pro eodem Cathedralitatis titulo solemnissime allegarunt. *vt in Collect. Gargan. pag. 31. 33. & 34. ibi pro obseruantia litterar. SS. Pontificum Roman. & præcipuè Alexandri* III. *Bonifacij* IX. *pro Vnione Ecclesiæ Garganicæ cum Sypontina: & Iulij* III. Illam in S. Rit. Cong. pro eadem Causa, vel saltem correspectiua, communicationem Priuilegiorum cum Sypontina ob Vnionem intendentes, Archiepiscopo exigente & mediante, præsentarunt: *vt ex Decretis eiusdem S. Congr. in Summ. MS. Num. 7. & 8. dato à nobis in præcedenti positione*, quod resumi debet. Illam denique in S. Episcoporum & Reg. Congregatione Emin. Franciotto Ponenti, ante diffinitiuum Decretum, in Summario produxerunt (quod est ipsum quod refero, notisque discursio *in Collect. Garganicor.*) vna cum copiosissimo Responso Egregij viri & Domini mei Io. Baptistæ de Luca Aduocati. cuius solertia & doctrina Garganicorum hæc Causa, inanis alioquin & eludenda, quindecim iam annos sustentatur. Sunt autem ibi eiusdem Aduocati inter cætera hæc verba. *Quare Bonifacius Papa* IX. *sub anno Domini* 1401. *ad tollendas forte controuersias & omnem occasionem dubitandi, Terram Garganicam in Ciuitatem erexit: & Ecclesiam S. Michaelis in Cathedralem. Ipsasq; Ecclesias Sypontinam & Garganicam simul vniuit &c. Et eidem Ecclesiæ Garganicæ concessit omnia priuilegia, iurisdictiones, & prærogatiuas, quibus Ecclesia Sypontina gaudet. Summar Num. 3. Hæc concessio Bonifacij quamuis ex eius tenore noua appareat, effectu tamen fuit potiùs confirmatio antiquorum iurium: dum à tempore Alexãdri III. & vltra, Ecclesiæ prædictæ erant vnitæ &c. Attamen cessat omnis difficultas ex dicta erectione Bonifacij: cum de iure sit indubitatum ad Papam spectare Ecclesias vnire, vel diuidere, & Cathedrales erigere.*

Quibus Facto ita se habentibus, duas subnecto conclusiones. *Prima* est: Priuilegium pro Titulo allegatum, siue in Partibus, siue in Curia, immemorabilem prorsùs irritare: vt modò authoritate prædixi. *Altera* est: Concedente Signatura reuisionem Causæ, id intelligi ex deductis, & non vt admitterentur nouæ probationes. *Ludouis. decis. 211. vbi Beltram.* Quare non possunt occultare nunc aduersarij iura Sũmario ædita in S. Congregatione: penès quam causa recognoscitur iuxta Papæ rescriptum, ibi: *Congregatio Episcoporum iustitiam faciat cum voto Rotæ* (non autem *de voto Rotæ*) Et ibi: *Pendente reuisione Causæ &c.* Vt videre licet in *Summar. MS. num. 9. C. & num. 2.* Eo magis quòd S. Congregatio Dubium transmiserit cum solita clausula, *Stantibus hinc inde deductis*.

Sed Bullæ tenorem iam expendamus. Dispositiuè in ea & multifariam Bonifacius affirmat: Garganicam Ecclesiam & Terram ad sua vsque tempora Diœcesanam Terramq; fuisse, ac subdita Metropoli Sypontinæ. Quod in litteris Martini V. successoris identidem, aliorumque Pontificum, confirmatur. *in Memor. Sypontin. pag. 5. & seq. & alibi*. Quapropter ante an. 1401. quo data est Bonifacij Bulla, temerarium esset Garganicis & commentitium Cathedralitatem asserere. Hinc ad

argumenta & iura, alioquin inualida, quæ multa conati sunt de præcedentis temporis Cathedralitate afferre, otiosum est respondere. Deinde Garganicam ipsam Ecclesiam Metropolitanam facit, & cum Sypontina vnit. *Collect.Gargan.pag.6.*

Plurimùm autem refert, quo Vnionis genere vniat inquirere. An *subiectiuè*: An *incorporatiuè*: An *Præsule tantùm*. Vt distinguit celebris Glos. *in cap.1. Ne Sede vacante. Et in can. Et temporis 16.q.1.* quā passim Rota sequitur: vt in Aretin. Vnionis *1.April.1647. coram Ghisler. §.Principale fundamentum.* Vbi nihil refert, quòd recedendo ab ordine Glosæ, Vnionem secundam *Incorporatiuè*, primam enumeret cum Rebuffo *in Prax.de Vnion.Beneficior.nu.11.& seqq.*

Et dicendum est Vnionem mediam Bonifacium instituisse, nempè *Incorporatiuè*. Colligitur litteraliter ex Bulla, præcipuè ibi: *Ipsasque ambas Ecclesias, Sypontinam & Garganicam, simul vnimus annectimus & incorporamus.* (Est circa medium *in Collect.Gargan.pag.7.*) Atque etiam ibi: *Quodque ipsa noua Ecclesia omnibus priuilegijs, iuribus, & iurisdictionibus potiatur & gaudeat, quibus eadem Sypontina Ecclesia gaudet, & gaudere etiam consueuit.* Quæ Priuilegiorum, iurium, ac iurisdictionum communicatio est vtique de natura Vnionis *incorporatiuè*: & omnino repugnat Vnioni tertiæ speciei, idest *quoad personam Præsulis tantùm*: qua vnaquæque Ecclesia, vtpote materialiter & formaliter distinctæ, sua retinet iura consuetudines & priuilegia; habentque separatum territorium. *dd.Glos.in cap.1.Ne Sede vacante. & can. Et temporis 16.q.1.* Et clarè Rebuff. *in Prax.vbi de Vnion.Beneficior.num.11.& seqq. vers.Tertio fit vnio.* Et quoniam incorporari possunt duæ Ecclesiæ bifariam: vel vt vna accedat alteri; vel vt ambæ æquè principaliter inuicem vniantur (*vt litteraliter dd.Glos.& DD.*) inde dicendum videtur, æquè principaliter Bonifacium vniuisse Sypontinam & Garganicam Ecclesias. Arguitur ex præcitatis Bullæ verbis: necnon ex ijs: *Perpetuò decernentes, vt prædict. Nicolaus Archiepiscopus Sypontinus & Garganicus nuncupetur, & subsequenter sui in posterum successores.* Quæ geminata denominatio æquè principalem indicat vnionem. *Cavaler. decis.330. numer.4. Ludouis.decis.304.num.1.*

Morem gero Garganicis, qui hanc ipsam speciem *per incorporationem*, & vnionē redactam ad *vnitatem formalem*, præferunt, & in[illegible] ituerunt apud Sanctiss. *vt patet in Commiss. in nostro Summar. MS.num.9. A.* ibi: *B[illegible].P. Existente Ecclesia S.Michaelis in Monte Gargano ab antiquissimo & immemorabili tempore in statu Cathedralitatis, eiusque possessione: Et constituendi insimul cum Ecclesia S.Laurentij antiquæ Ciuitatis Syponti VNAM Ecclesiam Cathedralem SYPONTINAM: ac propterea deputandi Sede vacante Vicarium &c.* Idemque fusiùs asseruere in Rota positione præterita.

Probatur etiam inductione. Nam vnionem *per subiectionem* acerrimè negant Garganici, eamque sustulit Bonifacius. Tertia *quoad Præsulem tantùm* (quæ vere nō est vnio, sed Prælati potiùs ficta diuisio, representantis duas personas in duobus Episcopatibus & Diœcesibus realiter separatis. *Aym.de antiq.temp. par.4.sect.1.n.56. & Gloss.& Rebuff. vbi sup.*) negatur itidem à Garganicis: & repugnaret tum Bullæ Bonifacij, tum rationi: Aliàs daretur absurdum, & monstruosè duo capita in vno corpore, nempe duæ Metropolitanæ realiter & formaliter distinctæ in vna Diœcesi & Prouincia. Cum quidem Bonifacius, sicuti Metropolim constituit Ecclesiam Garganicam, perinde Diœcesim & Prouinciam non diuidit: nec diuidere potuit

Incor-

incorporatione subsistente, ne detur actus contradictorius. Alioqui non vnionem & incorporationem, sed dismembrationem separationemque induxisset, si Garganicam Ecclesiam primo, *subiectionis*, genere vnitam, [illegible] territorio Cathedra decorasset. Addo quod territorij seu Diœcesis separatio nedum non præsumatur, sed neque ab inferiore contra superiorem Ecclesiam præscribi possit, vtcunque possit iurisdictio præscribi. *Panorm. & Fel. n. quos refert & sequitur Balb. de Præscrpt. 1. par. Quint. Part. pr. ic. q. 11 num. 4.*

Propterea in vnione *per incorporationem*, seu Vnitatem formalem, subsistere tantummodò posset Metropolanitas Garganica à Bonifacio instituta. Cuius admitto exempla exaduersò allegata, Ecclesiæ Aretinæ constitutæ in vna quidem Diœcesi, Dignitate, & formali Ecclesia: cum duas tamen habeat manufactas Ecclesias & Collegia incorporata. *De qua Rota in Aretina Vnionis 2. Iuny 1645. Ghisler. Et coram R. D. meo Verospio 8. Marty 1652.* Idemque dicendum, de Cæsaraugustana iam celebri in Rota, & de Vercellensi, *vt in Vercellen. Vnitatis Capituli. Pema. 12. Iun. 1598. in Lugdunen. impress. decis. 699. & Venet. decis. 558.* Quæ sunt, Decisiones alias exaduerso allegatæ. Quibus addo Emin. Card. Ottobon. decis. 4. num. 17. Quamuis hæc exempla non omnino adæquentur: quæ respiciunt meram Cathedralitatem, actusque illam inducentes: cum nos de Cathedralitate in genere; & speciatim de Metropolitano iure & Prouincia, actibusque huic consentaneis contendamus.

Præmium hucusque mereor à Garganicis, quos nobiscum incorporo, non quidē vt amplectar sed vt constringam. Porro notandum est, esse intrinsecum & de essentia *Incorporationis*, seu Vnitatis formalis, Quod Vicarij Capitulares, & communia negotia, ab vtroque Capitulo simul vnitim & conuentim eligantur & tractentur: Neque dicantur duo Episcopatus & Diœceses, sed vna: Deque incorporatis Ecclesijs seu Collegijs iudicetur vt de incremento quod per alluuionem contingit: ita demum vt non possint diuerso iure censeri. *dd. Glos. in cap. 1. Ne Sede vacante. Et in can. Et temporis 16. q. 1. Angel. cons. 247. Vnitorum. num. 1. Optimè Rota exaduerso allegat. in Aretina Vnionis 1. April. 1647. Ghisler. §. Principale fundamentum. Et in alia 2. Iun. 1645. §. Quò verò ad secundam partem. & seqq. Et in eadem coram R. D. meo Verospio 8. Mart. 1652. in princ. & fin. Pema in Vercellen. Vnitatis Capituli 12. Iun. 1598. in impress. Lugd. dec. 699. in Venet. dec. 558. Card. Ottob. dec. 4. per tot.* His positis

DICO PRIMO. Bonifacij Bullæ, eique conformi Vnitati & incorporationi, exaduerso [illegible], contradicunt ipsimet Garganicorum acta & iura producta. Hinc exceptionem non habuisse, titulum habilem non præbere, ac immemorialem excludi, necessariò infertur.

Consequentia patet. Antecedens probo. Præcipua Garganicorum propugnacula & probationes, quæ ad cœlum vsque extollunt & exclamant, sunt creationes quædam Vicariorum Capitularium, nouissimè ab anno 1622. in sola & pro sola eorum Terra perperam celebratæ, censuris semper impugnatæ à Metropolitano Vicario Sypontino, & à tota Diœcesi, *quæ habentur in Collect. Garganicor. pag. 35. & seq. Et de censuris, cedolonibusque eo casu affixis per vniuersam Diœcesim, vide septemdecim ferè oculatos contestes Diœcesanos in Memor. Sypontin. pag. 38. & seqq. vbi in margine adest notula, Censuræ in Garganicos.* Sed huiuscemodi actus longè à Bonifacij Vnitate ac incorporatione aberrant. Necesse enim est Garganicos docere, non schisma

ſchiſma ſe perpetraſſe, ſed coniunctim cum Capitulo Sypontino conueniſſe in vnius Vicarij electione, tota Diœceſi acceptante & Prouincia. Non eſt quippe in poteſtate ipſius Partis obſeruantiam ſibi & quaſipoſſeſſionem comparare: Cum, in incorporalibus præſertim, iuribuſque negatiuis & priuatiuis, tota vis & ſubſtantia quaſi poſſeſſionis in acquieſcentia Partis aduerſæ conſiſtat. *Rota recent. par. 4. tom. 3. deciſ. 697. num. 14. 16. & 17. Et in Sypontina Iuriſdictionis, deciſ. 491. num. 6. recent. part. 1.* Et obſeruantia difformis, vel etiam in aliquibus contraria titulo prætenſo non releuat. *Ludouiſ. deciſ. 325. nu. 1. Buratt. deciſ. 472. num. 7. & ſeq.* Nam debet eſſe præciſa & indiuidua caſus de quo agitur. *Burat. deciſ. 129. num. 5. & ſeq. Ludouiſ. deciſ. 451. num. 7.* Et de electionibus actis contra formam tituli, ac proinde non inducentibus quaſi poſſeſſionem, annuit Seraph. *deciſ. 628. nu. 2. in fin.*

Eademque procedunt quoad cætera eorum iura & acta inter ſeſe tantummodò intentata. Quæ cum non ſint adæquata & conformia cum Incorporatione ſeu Vnitate, ac Metropolico iure prætenſo; nullamque præferant Diœceſis & Prouinciæ obſeruātiam; diſmembrationem potius à Sypontina Metropoli quàm Vnionem comprobarent.

DICO SECVNDO, Contra habentem iuris aſſiſtentiam non eſt ſatis afferre Priuilegium: niſi probetur obſeruantia proxima & cohærens priuilegio, quæ non peti poteſt à remotis. *Optimè Ludouiſ. deciſ. 325. num. 1. Rota in Sipontina Iuriſdictionis 24. Maij 1613. deciſ. 491. par. 1. recent. nu. 4. 5. 7.* Quare eſto Bonifacij Bulla (quæ data eſt an. 1401.) à Garganicorū actibus non diſſentiret: nihilominus hi non releuarent, quippe qui recentiſſimi, & duobus ſint ſeculis à Bonifacio remoti.

Garganicorum iura actuſque poſſeſſiuos, quos credunt & exhibent, ſigillatim examino in Collect. Garganicor. Paucis repeto: à Bonifacio citra quatuor Actuum genera & probationum anteferunt. *Primæ*, & oſtentatiſſimæ omnium probationes ſunt, Electiones prædictæ Vicariorum Sede vacante. *Secundæ* ſunt Inſtrumenta quædam ab ipſis conficta ſuper primo ingreſſu Archiepiſcopor. in eorum Terram. *Tertiæ* ſunt deputationes duæ Vicarij Generalis ab Archiepiſcopo pro ſola eorumdem Terra. *Quartæ* ſunt Denominationes quædam Archiepiſcoporum Sypontinorum & Garganicorum: vel Ciuitatis & Cathedralis Garganicæ. Hæc ſunt eorum iura pleraque informia & ſuſpecta; cuncta inualida.

Electiones Antiuicariorum ſunt nouiſſimæ ab anno 1622. *Extant in Collect. Gargan. pag. 35. & ſeqq.* Quodque de cæteris Vicarijs, ante id tempus ab immemorabili electis, gratis aſſerunt, commentitium eſt, & inueriſimile. Si enim in præcedentibus quibuſcunque Sedis vacationibus per ſuos Vicarios Capitulares iuriſdictionem exercuiſſent, neceſſariò innumera extarent in ſolemni eorum, quod dicunt, Archiuio, Acta, Proceſſus, Decreta, Electiones ipſæ regeſto mandatæ, Vicariorum ſubſcriptiones, & aliæ ſcripturæ: prout in eorum Terra antiquiſsima adſunt Notariorum commentaria, cum Turcarum incendium paſſa non fuerit, vt accidit Manfredoniæ an. 1620. Imò per Diœceſim ipſam quamplura, occaſione aliqua, diſperſa excurriſſent huiuſmodi Garganicorum acta. Et tamen tot inter ineptas ſcripturas, etiam antiquiſsimas, quas produxerunt A.C. & in S.Congreg. nullam penitùs exhibuerūt cartulam antiquiores electiones quomodocunque indicantem. Quæ nec poſſunt teſtibus probari, prout ad protrahendam Cauſam articulabant: Eſt enim ſuſpecta

& inua-

& inualida probatio per testes, quando fieri potest per scripturas. *Egid.decis.9. Mātic.decis.124.num.10. Et recent. decis. 142. n.7. par. 6.*

Instrumenta ingressus seu possessionis, quam vocant, Archiepiscoporum, sunt ab anno 1623. præter primum, quod est omnium ipsis solemnissimum, & integrum singulariter exhibent, (cum recentiorum pauca solummodò verba cōsultò præsentauerint) actum anno 1567. occasione ingressus Ptolemæi Gallij Cardinalis de Como. Legantur *in Collect.Garganicor.pag.27.& seqq.* vbi ea Scholijs excutio.

Quæ miror cur vtiliùs non suppresserint. Nam, præterquam sint actus turbidi, informes, inualidi, suspecti, ab eisdem Garganicis rogantibus & rogatis proprio marte ad votum constructi; apertè ostendunt Archiepiscoporum contradictiones in Cathedralitatem Garganicam. Quantique hæc acta Garganicis intersint, ex eo liquidò arguitur, quòd aduersùs Cardinalis de Como responsionem solemnissimè sint protestati. Et de eodem Cardinali notandum est, fuisse electum Archiepiscopum an.1562. Die 6.Iul. *(vt ex actis Concistor.in Memor. Sypont.pag.65.C.)* sed Garganici Possessionis hunc actum fingunt anno 1567. vnde manifestum est fuisse ipsorum illusas interrogationes in Archiepiscopi ingressu, non illius voluntarium Possessionis actum. Qui confestim & necessariò, siue immediatè siue per procuratorem, celebratus fuit in Metropoli Sypontina: alioqui iurisdictionem exercere non potuisset.

Notabilemque fecit interruptionem huiusmodi Garganicorū actis Annibal Caracciolus Archiepiscopus electus an.1628. De quo nullum effingere potuerunt Possessionis, vel Rathihabitionis instrumētum: eo quod Archiepiscopus iste, nulla simulatione admissa, Garganicam irridens Cathedralitatem ipsius Archiepiscopi bullis contrariam, Capitulares Garganicos salutari pœna mulctauerit, ob intentatam ab eisdem Vicarij Capitularis electionem, spretis censuris à Metropolitano Vicario Sypontino publicatis, vt probatur Sacerdote teste, Archiepiscopo familiari, *in Memor. Sypont.pag.51. O. §.vltim.* quòd fama notum est.

Quoad Deputationes, quas exhibent, duorum Vicariorum Generalium ab Archiepiscopis factæ pro sola eorum Terra: respondeo item *in Collect.Gargan.pag.25.* Prima acta fuit anno 1616. Altera anno 1622. *vt in loc.cit.pag.24.A. & 26.B.* neque à nascente Garganica Ecclesia vetustiores habent. Sunt æquè suspectæ & informes cum prima sit absque subscriptione Actuarij, & extractæ ab eorum Archiuio Garganico: Prout sunt omnes scripturæ à Garganicis productæ quæ hoc solo nomine nihil probant contra Metropolim aduersariam. Nam inter substantialia, quæ requiruntur vt scriptura extracta ex Archiuio probet contra Tertium, necesse est Custodē non esse suspectum. vt in terminis de scripturis a Capitulo in Archiuio custoditis, ideoque non probantibus contra Ordinarium, tradit Rota *Diuersor. volum.1. decis.183. num.4.5* benè etiam *Iudouis.decis.159. nu.2.* Et disertè & in terminis Card. Millin.*decis.34.per tot.* Qua posita doctrina, superuacaneus est labor Garganicis cartulis hoc scripto respondere,

Respondeo tamen, & quoad rem præsentem, Has deputationes non esse Vicariorum Generalium, sed foraneorum. Siquidem Generalem Vicarium non Generale agnomen sed Generalis facultas per totam Diœcesim constituit. Vnde Vicarius constitutus ad certum locum, vel etiam partem Diœcesis, imo etiam, in fortioribus terminis, super quibusdam Ecclesijs suffraganeis, respectu Metropolitani; non est re

vera

vera Vicarius Generalis ſed foraneus, nihil obſtante quòd appelletur Generalis. Vt hæc omnia expreſſis Rotæ deciſionibus & DD. innumeris, diſertiſſimè firmat Garzia *de Benef.part.5,cap.8.à nu.27. vſque ad 39.* Quare cum iſti duo Vicarij deputati fuerint reſtrictiuè ad locum *Montis S.Angeli tantùm*, vt habent allatæ litteræ; & in eiſdem appareat Vicario Generali Manfredoniæ facultatem & iuriſdictionem tributam fuiſſe ſuper totam Diœceſim & Prouinciam; euidenter conſtat, Generales Vicarios nec per breue tempus conſtitutos fuiſſe vnquam in Garganica Terra; iſtaſque litteras ipſis aduerſari. In quibus etiam inſpicitur, has Deputationes eſſe nouas & inſuetas: Vicariumque Generalem Sypontinum, ſub eiſdem Archiepiſcopis, poteſtatem habuiſſe in Garganicos ante d.d.Deputationes.

Denominationes tandem Archiepiſcoporum, & Eccleſiæ Garganicæ, occurrunt reliquæ Aduerſariorum probationes. Sunt perpaucæ cartulæ, ſuſpectæ, informes, inualidæ, cunctæ ferè recentiſſimæ; & vna vel altera inſcriptio lapidea. Quibus reſponderetur ſatis, cuſtodes & artifices fuiſſe Garganicos. Habentur in Collect. Gargan. *à pag.14. vſque ad 24.* vbi eas in ſcholijs trutino, vt propterea opus non ſit ſigillatim repetere. In ijs Archiepiſcopus Sypontinus & Garganicus aliquando cognominatur: & Eccleſia Garganica quater & incidenter Cathedralis, ſemel Metropolitana. Ex inſcriptionibus lapideis vnam, quam præſentare non erubuerunt (*& eſt in Collect.Garg.pag.20.G.*) vt falſatam à Garganicis, vacante Sede ob mortẽ Archiepiſcopi de Molaria, Archiepiſcopus ſequens reformauit falſatione deleta: quare hodie Sypontinum tantùm Archiepiſcopum indicat. Altera inſcriptio eſſe dicitur (nam non vidi) in quodam Sacello Eccleſiæ Garganicæ, huiuſmodi: *Mattiæ exponit aram, Eccleſiæ almæ Garganicæ Archidiaconus Antonius Peritius, An.1487. Tiberio Archiepiſcopo Sypontino Garganicoque.* Eſt in Collect.Garg.*pag.15.B.* In quo epitaphio cum ly *Garganicoque* ſit dictio poſtrema, quæ facilè adiungi potuit; cumque alias compertæ ſint Garganicorum adulterationes, nullatenus dubito quin moderniori tempore ſuperaddita fuerit ab ipſis Garganicis. Qui decretum etiam falſarunt S.Rit.Cong.Officio S.Michaelis appoſitum: Vt cum eorum dedecore declarauit Sac.ead.Cong. *in noſtro Summar. MS. num.6.* Sed ſatis eſt dicere idem epitaphium ſuam inualiditate oſtendere, authorem præferens Garganicum. Inſcriptiones autem veras & Epitaphia, ab ipſis Archiepiſcopis poſita in domo, & aulicorum Terræ, non afferunt Garganici; in quibus Sypontinus tantum legitur Archiepiſcopus: vt ſimilia etiam extant in Archiepiſcopali palatio & Metropoli Sypontinis.

Cæterum euidens eſt, has denominationes nihil ipſis relevare. Quia informes & Archiuij, Authorum, & loci ſuſpectorum. Quia vt perpaucæ, cedunt innumeris contrarijs: ijſque authenticis. Quia aduerſantur litteris Apoſtolicis quibuſcunque. Quia recentes, & poſt motam litem. Quia teſtatur contrarium vniuerſa Diœceſis: & ipſa veritate verius eſt, Archiepiſcopos ſe denominaſſe ſemper Sypontinos tantum. Quia conſuetudo arguitur ex actibus inſignibus & aduertẽter factis: prout ſunt epitaphia ab ipſis Archiepiſcopis poſita, & Sigilla quibus vtuntur. Quia confeſſiones erroneæ vnius vel alterius Archiepiſcopi, vel etiam plurium non præiudicant veritati. Quia infinitis ferè proprijs confeſſionibus, in Romana Curia præſertim, Capitulares Garganici contrarium dixere. Quæ omnia mox iuſtificabuntur, cum de nostris iuribus agam.

DICO

DICO TERTIO. Non procedere fucosum quo Aduersarij vrgent argumentum, dicentes: Ad probandum & conseruandum ius Metropolitanum, vnicum actum sufficere: eo quod attendatur vniuersalis Titulus, non particularis actus. Hinc Vicarij Capitularis electionem (seu potius Autiuicarij) esse Garganicis ad retinendam Metropolitanitatem satis. Allegant Rotam *in Cæsaraugustana Cathedralitatis, coram Bichio.6.Mart.1656. §. Quæ omnia.circa med.*

Siquidem quoad has electiones pro sola eorum Terra, iam diximus non esse actus adæquatos cum Metropolitico iure prætenso. Velut etiam annuimus: Non constitui quem in quasi possessione priuatiua, absque acquiescentia Partis. *Ludouis. decis.472.num.1. & decis.493. vbi Beltram.* Constat enim testimonio totius Diœcesis *(Memor. Sypont. pag.58. & seqq.)* & notorijssimum est, dd. pseudoelectiones semper censuris impugnatas fuisse à Metropolitana Sypontina. In quibus terminis, quod superior non amittat quasi possessionem, si videns inferiorem exercere iura Episcopalia populumque ei obedire, inferiorem ipsum excommunicauerit, vel alio actu quasi possessionem interruperit; docet Panorm. *(in hoc cum Innoc. consentiens) in cap. Iudicis.de Præscript.colum.4. n.14.*

Sed præmisso argumento optime respondet Reuerendissimus Dominus meus Cerro, Decanus, *in Mauricen. Canonicat. 23.Ianuar.1658. §. Quia præter.*dicens: Causam vniuersalem non operari extensionem quasi possessionis de casu ad casum, si ius non assistat, vel faueat alteri. *consentit Beltram.ad decis.557.Ludouis.numer.12.* Et benè etiam Decisio exaduerso citata, *in d.Cæsaraugustana Cathedralitatis. Bichio. 6.Mart.1656. §. Quæ continuatio in princ.* vbi habetur: *Vanum fuisset prætendere continuationem, non docto de præcedenti initio Cathedralitatis.*

Et merito, cum non continuetur possessio quæ non acquiritur. Qua de re notandum: vigore Bonifacij Bullæ non solum non potuisse Garganicos quasi possessionem continuare Metropolanitatis (cum illicò & sæpius fuerit reuocata, vt infra) sed neque momento temporis acquirere. Ratio est, quia possessio, vel quasi, est quid facti non iuris. Et quamuis Apostolicæ literæ cum Titulo præbeant quasi possessionem: id tamen procedit quando quasi possessio immediate inhæret Papæ; vt puta in Ecclesijs exemptis: Secus cum Papa mediate quasi possidet; vt in Ecclesijs Metropolitano vel Ordinario subiectis: tunc enim immediati Superioris acquiescentia quasi possessio acquiritur. *[illegible] Cassan. decis. de Caus. poss. & propriet. Quia virtualiter etiam [illegible] in [illegible] Regalis Iurisdictionis 13. Maij 1599.num.12. & 23. Decis.6[illegible] inpress. [illegible] in Lagun[illegible] decis.761.nu.2.& 14.*

De Metropolitanæ Sypontinæ acquiescentia nullam prorsus & omnino probationem ostendunt Garganici: nec præsumitur, attentis præsertim iurgijs illicò secutis, de quibus constat: & quia propè impossibilis. Absonum quippe est, potuisse duo Capitula tot milliaribus distantia incorporari, sæpissimè congregari, & Diœcesi & Prouinciæ præesse concorditer. Addo Bonifacium reuocasse, biennio post, ipsam Garganicorum Exemptionem & Vnionem, anno scilicet 1403. *(Memor. Sypont. pag.69.H.I.K.)* vt infrà ostendam: quo medio tempore cum Sypontina Sedes non vacauerit; quasi possessionem eligendi Vicarium acquirere non potuerunt Garganici. Nam Nicolao Archiepiscopo existenti tempore Bonifacij & datæ Bullæ, immediatè successit Laurentius Archiepiscopus anno 1[illegible]7. *De quo [illegible]*

 [illegible]

mor.Syp.pag.5.L.R. & pag.64.A. Et indubitatè patet in Ital.Sacr. Abb.Vghel.tom.6. vbi de Archiep.Sypontin.

Omnem tamen aufert ambiguitatem Ioannes XXIII. qui in eius Bulla reuocatoria data an.1413. *(Memor.Sypont.pag.74.M.)* de erectione Metropolis Garganicæ à Bonifacio factæ, sic loquitur. *Cum autem; sicut eadem petitio subiungebat, & multorum fide digna relatione percepimus; ex erectione huiusmodi, turbationes, lites, & scandala plurima sint exorta; & in futurum formidantur ampliùs exoriri, nisi per Apostolicæ Sedis remedium &c.*

Et tempore Laurentij Archiepiscopi Sypontini, quòd Bonifacij Bulla executionem non obtineret, indubitatè cōstat in litteris Martini V. *Memor. Sypont.pag.7.S.* vbi Archiepiscopus ipse, asserta Reuocatoria subsecuta super Bulla Bonifacij, de Garganicis conqueritur his verbis. *Capitulum & Vniuersitas terræ Montis S. Angeli, ex eo quia d. Archiepiscopus se solùm Sypontinum nominat, omnes prouentus, quos pro tempore Archiepiscopi consueuerunt in d. Terra percipere, administrare recusant eidem.* Et passim ex sequentibus dignoscetur magis, Bonifacij Bullam nullæ fuisse executioni demandatam: & perperam exaduerso Immemorialem quasi possessionem allegari.

DICO QVARTO. Actus in partibus (per se licet non essent aliàs inualidi) non suffragantur Garganicis. Quia, vt annui in principio, Ecclesia inferior non potest præscribere contra superiorem extinctiuè, sed translatiuè per immediatam subiectionem Sedi Apostolicæ. Vnde probanda sunt scientia & consensus Papæ: sine quibus Articuli concepti non admittuntur. *Benè Balb.de Præscript. par.1. Quint.Part.princ.quæst.12.nu.2. & 3. Rota penes Ludouis. decis.325. num.1. Et apud Card.Millin.decis.401.nu.5. & 9.* Quæ sola doctrina, meo iudicio, omnem euertit Garganicorum intentionem: cum, circumscripta Bonifacij Bulla quam etiam occultant, infestissima offendant quæcunque Acta Romanæ Curiæ. Et inter cætera mirum videbitur, hodiernos Capitulares Garganicos, Beneficiales litteras in Vrbe signatas, huiusmodi habere narrationibus refertas: *Canonicatus & Præbenda secularis & Collegiatæ Ecclesiæ Terræ, seu Oppidi, seu loci, Montis S. Angeli, Sypontinæ Diœcesis.* Vt quatuor afferimus, præter alias vetustiores, *in Memor.Sypont.pag.14. & seqq. præcipuè litt. E.G, & seqq.*

DICO QVINTO. Titulus redactus ad non titulum non suffragatur ad præscribendam libertatem contra superiorem Ecclesiam habentem iuris assistentiam. Idcirco Bonifacij Bullam, vtpote reuocatam, ne pro titulo quidem colorato allegare possunt Garganici. *Cardin.Millin.in d.decis.401.nu.1.2. Roman.cons.454. col.fin. Burat.decis.452. Barbos.Summ.Apost.decis.collect.587.num.1.* Hic reuocationes ipsæ, & subsecuta obseruantia operæ pretium est recenseri.

Producimus, cum primis, Cōstitutionem reuocatoriam ipsiusmet Bonifacij IX. datam an.1403. duobus post annis à data Bulla Garganicis. *Est in memor. Sypont. pag.69.litt.H.I.K.* Quare Bonifacio ipso reuocante corruit Garganicæ erectio in Metropolitanam, & incorporatio. Si enim dicatur virtualiter & consequenter importare Exemptionem, iam *Exemptiones omnes factæ quibuscunque Ecclesiis, Capitulis, & Collegiatis &c. declarantur irritæ, inanes, nulliusque roboris vel momenti.* Vt [illegible] verba Constitutionis litt.K. Si dicatur etiam vnionem inferre, Item [illegible]

cum [illegible]

omnes annullantur, etiam facta motu proprio: præcipuè illa quæ facta fuerunt sine magna necessitate; vel ex falsis aut nullis causis: etiamsi super his lis pendeat indecisa. Vt videre est *loc.cit.litt.I.*

Porro Vnio & incorporatio Ecclesiæ Garganicæ cum Sypontina, nedum facta fuerat *sine magna necessitate*, sed cum maximo potius incommodo & absurdo. Cum enim Garganica Terra, quæ Montis iugum obtinet, septem milliaria, teterrima via & accliui intercedente, à Manfredonia seu Syponto recedat, quomodo potuissent (vt prædixi) vtriusque Ecclesiæ Capitula sæpissimè congregari ad communia negotia peragenda? Hinc dari paritas cum Ecclesia Cæsaraugustana, & Aretina non potest; cum vtraque Concathedralis manufacta, & vterque Collegium, in eadem Cæsaraugustana Vrbe consistant. Idemque dicendum de Aretina, & Vercellensi, quas exaduerso allegarunt. Augetur incommodum ex eo quòd tum in Sypontina Ciuitate, tum in Garganica Terra omnis animarum cura penès Capitula resideat & Canonicos, idcirco Parocos. Si ergo Capitulum Garganicum Manfredoniam adueniret, vel Sypontinum in Garganicam Terram ascenderet, ad Vicarios Capitulares creandos, & quotidiana negotia communiter expedienda; profectò interim animarum cura vacaret: quod esset impium nedum absurdum.

Hinc iure merito Vnio ista & incorporatio, vt æquè principaliter in vno territorio prætensa, irridenda est. Nam cum cum legitimæ Vnionum causæ ad duo genera reducantur; nempè ob *necessitatem*, vel *vtilitatem*; his deficientibus Vnio, etiam motu proprio à Pontifice Maximo facta, nulla est. *Hoied.de Benefic.incompat. par. 2.cap.3.nu.8.16.& 19.*

Producimus Bullam Ioan. XXIII. quam egrè ferunt Garganici. In ea ad perfectiorem reuocationem tota ad verbum inserta Bulla Bonifacij IX. reuocatur, & pro infecta haberi decernitur. *Memor.Sypont.pag.72.*

Producimus, siue potiùs allegamus, Constitutionem Martini V. in Concilio Constant. reuocantem omnes Exemptiones à Pontificibus concessas post obitum Gregor. XI. & consequenter Bullam Bonifacij IX. qui post Gregorium fuit vigente schismate. Martini Constitutionem exscribo *in Collect. Gargan. pag.9.* Quomodo vero Bonifacij tempore haberetur Romana Curia legendus est S. Antoninus, *in Histor.tit.22. §.20.cap.3.vbi de Bonifac.IX.* vt dignoscatur quàm facile fuerit Garganicis Bullam ipsam ad votum constructam obtinere.

Insuper Martinum V. Extrauagantem aliam Constitutionem edidisse; Reuocando omnes Vniones effectum non sortitas, & declarando tunc habendas esse pro sortitis effectum, cum fuisset capta possessio; ait Glossator antiq. *in Regul.11. Cancell.Hoied.de Benefic.incompat. par.2.cap.3. num.2. Garz. de Benef.par.12. cap.2. numer.281.* Quod autem Bonifacij Vnio tempore Martini V. effectum non obtineret, omni dubitatione semota probauimus ex litteris Ioan. XXIII. imò eiusdem Martini Archiepiscopo asserente. ex *Memor.Sypont.pag.7.S. & pag.74.M.*

Item alteram reuocatoriam Constitutionem Exemptionum, ab eodem Martino V. publicatam *sub Dat.7. Kal. Nouemb. Pontif. An. 7. anno scilicet* 1424. refert Rota apud Buratt. *decis. 452. num.1. vers.tum per alias litteras sub Data &c.* Quæ decisio videnda omnino est: agit enim in puncto litterarum ipsius Bonifacij IX. & super ijs subsequentium Reuocationum tum ab ipsomet Bonifacio, tum à Martino

tino

tino V. Eam rescripsi & perpendo *in Collect. Gargan. pag. 52. §. Cum igitur.* Et vid é-da est etiam in eadem materia Decis. 509. *Ludouis.*

Tandem particulares litteras & Rescriptum in hac Causa exhibemus eiusdem Martini V. Data an. 1419. *in Memor. Sypont. pag. 5. L. & seqq.* Vbi apparet, vt dixi, de reuocata & executioni non demandata Bonifacij Bulla: de lite & acerrima Sypontinæ Ecclesiæ contradictione in Garganicam: & de alijs. Decernit ibi tandem Martinus ita. *Fiat quòd obseruentur Priuilegia, & aliæ Constitutiones Romanorum PP. qui fuerunt ante schisma: Nisi, infra tempus sex Mensium, pro Parte aduersa fuerit rationabiliter ostensum, quòd aliter nunc fieri debeat.* In quo Decreto Martinus sibi ipsi constitit, iuxta prænarratas tres alias eius Constitutiones Reuocatorias.

Particula *Nisi* in hoc Decreto non inducit suspensionem: vt in terminis ratiocinatur *Oldrad. cons. 285. num. 7. & 8. vers. Ad tertium. Alex. lib. 4. cons. 91. circa primum. num. 5. vers. sed si in aliquo.* Et constat excellentiorem Papæ signandi modum esse per verbum *Fiat*: quod concessionem in instanti perfectam designat. *Mandos. Reg. 33. Cancell. quæst. 2. nu. 3. 4.* Et ad summum esset suspensiua executionis, non substantiæ Decreti: iuxta distinctionem Bald. *lib. 3. cons. 285. super primo. nu. 4. vers. super tertio.* Quo casu non officeret: tum quia semestre iam decurrit absque eo quòd constet, Garganicos iustificasse Bonifacianam Vnionem, nouumque Decretum contrariū necessariò obtinuisse à Martino (quæ non præsumuntur. *Beltram. ad decis. 196. Ludouis. num. 3.* maximè attento Vnionis huius incommodo, & repugnantia iuris) tum quia sussistebant interim prædictæ aliæ Reuocationes ipsius Bonifacij, Ioan. XXIII. & Martini eiusdem: à quibus passiuam interpretationem Decretum Martini recipere debet. Et summopere sussistebat & assistebat ius pro Sypontina: facilèque vnumquodque redit ad statum primæuum. Sed otiosa est argumentatio: cum ex innumeris PP. litteris subsecutis, eiusdemque Martini V. ad Capituli Garganici supplicationem, plenissimè constet de non executione Bullæ Bonifacij. *In Memor. Sypont. à pag. 10. & seqq. per tot.*

Producimus Bullam motu proprio Iulij III, qui fuerat Archiepiscopus Sypontinus, & testatur de facto proprio. Et duas alias Bullas eiusdem ad Capituli Garganici supplicationem. *Memor. Sypont. pag. 8. litt. V. X. Y.* Ex quibus tria indubitate probantur. Manfredoniam & Sypontum esse idem; ac promiscue vsurpari: Sypontinam esse Metropolitanam priuatiuè ad Garganicam: Et Garganicum Capitulū, nec Vnionem neque Vnitatem prætendisse cum Sypontina. Videantur hæ Bullæ, & confestim irridebuntur hodierni Garganici allegantes ipsum Iulium III.

Producimus, quod mirum est, quinque & viginti Apostolicas Bullas datas antiquissimo, antiquo, medio, & recenti tempore: omnes ad Capituli Garganici supplicationes, præter quinque quæ conterraneorum eiusdem Pagi Garganici sunt. *Memor. Sypontin. à pag. 9. vsque ad 25.* In quibus multifariam tum explicitè tum virtualiter sese fatentur subiectos vnicæ Metropolitanæ Sypōtinæ, priuatiuè quoad Garganicam eorum: quam *Collegiatam Ecclesiam Terræ Montis S. Angeli, Sypontinæ Diœcesis,* frequenter appellant: Capitulumque & Ecclesiam Sypontina & Manfredonia idem esse. Nec contrarium vnquam opinati sunt Capitulares Garganici: quicquid modo comminiscantur, de Sypōtina Ecclesia in Montem Garganū translata, Causidici Garganici.

Quæ

Quas Partium confessiones in supplicationibus Papæ factas, omnem excedere probationem, in terminis etiam fortioribus quoad paucas, dixit optimè Rota *coram Buratt.decis.578. num.3. & seqq. & Ludouis. decis.434. num.14.* Imò etiam à quibuscunque personis non suspectis narrationes emanatæ à centum annis plenè probant. *Rota recent.decis.292. nu.2.tom .2.par.4.* Maximè cum sunt multiplicatæ. *Seraph. decis.1021.nu.1.*

Producimus Acta quædam Clericorum Garganicorum se supponentium Metropolitanæ Sypontinæ vsque ad præsens tempus. *Memor. Sypont. pag. 19. per tot. Num.IIII.* Qui actus sufficiunt ad retinendam quasipossessionem Sypontinæ Ecclesiæ habenti iuris assistentiam. Cum non amittatur quasipossessio quando quis non se habet pro spoliato. *Ludouis.decis.40.nu.3.& Ferrentill.ad decis.857. Buratt. num.13.* Et titulata prætertur *idem Ludouis.decis.249.nu.5.*

Producimus Relationes Consistoriales ab an.1573. vsque ad 1623. antiquiores enim non extant in Regestis Vaticanis. *Memor.Sypont. pag.26. & seqq.* Quæ solæ proculdubio sufficerent ad hanc Causam expediendam. Prima dictata arguitur à Cardinali Comensi, qui vndecim annos fuerat Archiepiscopus Sypontinus. Quarta dicta & dictata fuit à Cardinali Ginnasio, iam vnum & viginti annos itidē Archiepiscopo Sypontino: Legendæ sunt, nam in ijs diserte, præuioque examine non suspecto, & scienter, describitur quidditas qualitas & status Ciuitatis, & Ecclesiæ Metropolitanæ Sypontinæ, Manfredoniæ promiscuè nuncupatæ: priuatiuè quoad Ecclesiam & Terram Garganicam, quæ Pagus & Castellum etiam asseritur inter cætera Sypontinæ Diœcesis.

Producimus varia Archiepiscoporum pro tempore acta & assertiones, eadem modò dicta plenissimè comprobantes. *Memor.Sypont.pag.31.& seqq.* Aliasq; litteras Apostolicas. Quæ sunt.

Prouincialis Synodus Sypontina,, celebrata Manfredoniæ an.1567. à Cardin. de Como, Archiep.Sypontino: eodemque anno typis excusa, *pag.32.A.*

Pij V. Rescriptum datum an.1559. ad supplicationem eiusdem Card.de Como, Archiepiscopi: asserentis vsurpandi animum, & alia, *Canonicorum Ecclesiæ Terræ S.Michaelis Archangeli.* ibidem B.

Decretum S.Rituum Congreg. subscriptum ab eod.Card.de Como, pro Officio S.Michaelis, impressum Romæ an. 1604. Quod an. 1648. Trani Garganici iteratò imprimi fecerunt, dictionem *Cathedrali* falso substituentes vbi in originali habetur *Ecclesiæ Collegiatæ S.Michaelis in Monte Gargano.* Ibidem *pag.33.C.* Quam eorumdem falsationem, Decreto interposito declarauit S.Rit. Congreg. Die 15.Septembris 1657. *Vt in nostro Summar.MS.nu.6.*

Pauli V. Rescriptum an. 1614. Annibale Ginnasio Archiepiscopo, præsente in Curia, supplicante. *pag.33. D.* vbi asseritur *Ecclesia S. Michaelis loci Montis Gargani.*

Sigilla varia Archiepiscoporum, *Sypontinum* tantùm agnomen imprimentia. *ibid. E.*

Epistola, alterius nomine, scripta Romæ an. 1644. à Paulo Theutonico: qui iā fuerat Vicarius Generalis Sypontinus sub Caracciolo Archiep. an.1628.& deinde an.1649. successit Archiepiscopus. Complanans Garganicorum dolos in hac

C 2 sa

Causa,& adulteratione epitaphij. *Ibid.pag.34.E.* De qua probationis specie, quod optima sit, in terminis Buratt.*decis.219.nu.2.*

Cœlestini PP.III. Concessio Mytrarum Dignitatibus Sypontinis, An.1196.cum Declaratione Cardinalis S.Theodori Legati An. 1208. commoratis Syponti. *ibid. in Memor. Sypont. pag.37. L.* M. Quas Mytras adhibere persequuntur Sypontinæ Dignitates, priuatiuè quoad Collegiatã Garganicam. Quod confirmant Relationes Consistoriales, *ibid.pag.29. in princ. & pag. 30.* Quod continuatæ Manfredonam Ecclesiæ Sypontinæ est argumentum, *Gratian.tom.5. discept.893. numer.38.* Et arguunt etiam effectum non subsecutum Incorporationis, & communicationis priuilegiorum Sypontinæ à Bonifacio IX. Garganicæ impertitæ. *Glos.can. Et temporis 16.q.1. & in cap.1.Ne Sed.vac.* Easdem Mytras Garganici an.1649. vacante Sypontina Sede, temerario ausu, de facto & repentè vsurpauerant: sub clypeo cuiusdam Sententiæ prædefuncti Archiepiscopi Marulli tunc primùm exhibitæ *(de qua in Collect.Garg.pag.20.H.)* tenore falsæ, solemnitate nullæ, subscriptioue item falsæ vel suspectæ, omnino inualidæ. Proinde cognita Causa à S.Rit. Congreg. eodem Emin.Franciotto Referente, gemino Decreto prohibiti fuere: reprobata expresse Bulla Bonifacij IX. & d.Sententia Marulli Archiepiscopi à Garganicis non insueto more conficta. *Vt in nostro Summar.MS.Num.7.& 8.*

Producimus septemdecim Contestes Diœcesanos, cum iuramento examinatos an.1643. à Delegato A.C. quorum XII. sunt Sacerdotes, nemo Manfredonius seu Sypontinus, vnus Garganicus. *Memor.Sypont.pag.38. & seqq.* Disertissimè, multifariam, & causa assignata testantes de vnica Metropoli Sypontina Manfredoniæ à Diœcesi semper obedienter agnita, priuatiuè quoad Garganicam. Oculatim etiam deponentes de Cedolonibus per Diœcesem omnem semper affixis, aduersùs excõmunicatos Antiuicarios Capitulares Garganicos à Metropolitano Vicario Sypõtino, & de alijs multis. Qui contestes omni exceptione maiores, ratione tanti numeri, & quia tot adminiculantur probationibus iurisque assistentia, præsertim quia multi eorum mortui, omninò probant, licet examinati fuerint in Criminali iudicio. *Ludouis.decis.434. numer.5.& 18.vbi Beltram.& decis.51.num.2. Et R.D.mens Meltius in Ampurien.seu Ciuitaten. Deputationis Vicarij 13.Januar.1651. §.Rationes autem.circa med.*

Et notandum, quòd in præterita positione *sub Artic.7.* Garganici ipsi, materiæ necessitate ducti, fateantur, Archipresbyteros omnes Diœcesanos ab immemorabili singulis annis Manfredoniam conuenire, ad subiectionis signum præstandum in Metropolitana, die festo S.Laurentij Episcopi Sypontini. Quod aliàs meridiano Sole est euidentius.

Producimus, siue allegamus, ex codicibus excusis & bibliothecis, triginta fere antiquissimos, antiquos, & probatos Scriptores, mirificè contestantes de identitate formali & morali inter Manfredoniam & Sypontum: & de translata Manfredoniã Archiepiscopali Sede. Quos transcribo *in Memor. Sypont.pag.58. & seqq.* quique, vt grauissimi, multi & concordes, plenissimè probant. *Gratian.discept.893.num.6. & seqq.* Et ridiculum est, quod hodiernis testibus facta plusquam antiquissima, & quamplura secula excedentia, probaturos præseferebant Garganici *in confictis Articulis 8. & 9.* videlicet de Syponto per multa secula desolato, ante Manfredoniæ

confirm-

conſtructionem, vtpote quod iam fuiſſet in Terram Garganicam traductum. Quibus nænijs hiſtoricè & diſcurſiuè reſpondi *in Memor. Sypont. pag. 55. & ſeqq.* & iuris authoritate mox reſpondebo.

Producimus 28. Electiones Archiepiſcoporum ab an. 1407. vſque ad 1652. in S. Conciſtorio promulgatas, Sypontinos tantùm Archiepiſcopos indicantes. *Memor. Sypont. pag. 64. & ſeq.* Ex quibus non obſeruata conuincitur Bonifacij Bullæ ſancientis, *Sypontinos & Garganicos perpetuis futuris temporibus coguominandos eſſe.* Quodque in Eccleſijs Cathedralibus æquè principaliter vnitis, iſta ſit neceſſaria obſeruantia & probatio, practicè docet in hac particulari Cauſa Innocentius III, & alij Pontifices *in Memor. Sypont. pag. 1. & ſeqq. & cōfirmat Rota per Caualer. dec. 330. num. 2. & ſeq.* Neque occurrendum eſt exemplo antedictarum Cathedralium, ſub vna denominatione, ſiue Cæſarauguſtana ſiue Vercellenſi ſiue Aretina, conſiſtentium. Eſt enim, vt annui, diuerſa facti ſpecies & iuris: cū Cōcathedrales illæ in eadem Ciuitate ſtantes, ab vna origine & gremio profluxerint: vt dicendæ ſint potiùs idem, quàm vnitæ vel incorporatæ. Scio, Eccleſiam alteri acceſſoriè vnitam nomen & titulum amittere *(Garz. de Benef. par. 12. cap. 2. nu. 12. & ſeqq.)* & fieri quaſi prædium principalis: ſed roſas mihi loquerentur Garganici hanc Vnionis ſpeciē intendentes: qui Sypontinum nomen auerſantes, & Bonifacio nixi, accedentes modò Archiepiſcopos in eorum Terram, aut Martires faciunt, aut Garganici nominis Confeſſores: quod ipſum lapides ſæuiente ſcalpro mentiri coegerunt.

DICO SEXTO. Neque immemorialem, neque quamcunque quaſipoſſeſſionem inducunt actus à Garganicis producti: vti ſemper interrupti, recentes, & lite poſteriores: quique non percutiunt tempus excluſum à cœteris reuocationibus Vnionum Incorporationum &c, Regulæ 13. Cancellar. ab omnibus PP. fieri conſuetæ, & Concil. Trid. *de Reform. ſeſſ. 7. cap. 6. verſ. Illæ verò. Et fortè etiam cap. 20. ſeſſ. 24. de quo latè Card. Millin. deciſ. 48. à num. 15. vſque in fin.*

Litem extitiſſe apud Alexandrum III. & ſucceſſores PP. (præcipuè Bonifacium ſequutos) vſque ad Martinum V. incluſiue, iam probauimus: *& conſtat in Memor. Sypont. à pag. 1. vſq. ad 7.* Modò addo, Anno 1607. repetitam fuiſſe litem à Garganico Capitulo coram A. C. in ſecunda inſtantia. vt in Monitor. & Inhibit. *ab ipſis deduct. in Collect. Gargan. pag. 39. & ſeqq.* Vbi ex Capituli libello habentur inter alia multa hæc verba. *Nouerītis nuper fuiſſe coram Nobis &c. ad inſtantiam RR. Capituli, & Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ S. Angeli Montis S. Angeli &c. expoſitum. Quòd licet ipſi ab immemorabili fuerint, & ſint liberi, immunes, & exempti ab Eccleſia Manfredoniæ, vulgariter nuncupata Sypontina; & à iuriſdictionis d. Eccleſiæ, eiuſque Vicarijs &c. Nihilominus R. D. Victorius del Sodo, aſſertus Vicarius Generalis Sypontinus ſeu Manfredoniæ, neſcitur quo iure ſuffultus, auſus fuit decernere pænale præceptum &c. Quæ omnia cum tendant ad annullationem, & tollendam iuriſdictionem dd. Capituli, & Canonicorum; & ad faciendum eos ſubiectos d. Eccleſiæ Manfredoniæ, in maximum præiudicium &c. timenteſque in futurum magis lædi; à ſupradd. Decretis ſeu præceptis, vt dicitur feciſſe, ac comminatione Cenſurarum, ac toto deſuper fabricato Proceſſu, omnibuſque grauaminibus &c. coram Nobis appellarunt, reclamarunt, ac de nullitate dixerunt &c. Cum ijdem Appellantes huiuſmodi appellationem proſequi intendant, de opportuna Citatione cum Inhibitione requiſiti &c. Nec non ad videndos ipſos*

Merlin. decis. 702. n. 18. et seqq.

Inſtru-

enstantes manuteneri, & conseruari in pacifica, & quieta possessione, libertate, immunitate, & exemptione ab Ecclesia Manfredoniæ vulgo nuncupata Sypontina &c. Datum Romæ Anno Domini 1607. *&c. Pauli Pp. V. An. III.* Insuper litem fuisse anno 1622. satis arguitur ab examine, licèt falso, & inualido, quod Capitulares Garganici eod. an. interfese fecerunt ad sustinendum primum eorum Antiuicarium Capitularem. *vt in Collect. Gargan. pag. 43. & notat. in pag. 46. & 37. §. Neque obstat.* Postremò lis fuit ab an. 1643. apud A. C. & in S. Cong. quæ adhuc durat, vt dixi.

Ex quibus actis, arguentibus acerrimam semper Sypontinorum contradictionem, & interruptionem, in Garganicos contumaces, videat Romana Curia quàm perperam exaduerso intendatur quasi possessio Immemorialis: quæ nedum ex scripturis, & actis contrarijs, sed alioquì etiam solo rumore fit improbabilis. *Beltram. ad decis. Ludouis.* 298. *numer.* 13. *Card. Ottobon. decis.* 159. *num.* 5. *& seqq. Ludouis. decis.* 434. *num.* 10. Et quàm sit absurdum, imò ridiculum, asserere, detracto tempore litis posse humanitùs inueniri testes 54. saltem annorum, deponentes iuxta requisita recentissimæ Glos. *cap. 1. de Præscript. in 6. De quo in modò citatis Deciss.* Et an Sypontina Metropolis quasi possessionem amiserit; habueritque se vnquam pro spoliata: quod exaduerso probari est necessarium. *Pen. in Montis Regalis Iurisdiction.* 18. *Dec.* 1598. *nu.* 26. *in impress. Venet. decis.* 586. Et cum assertionib. Ioan. Pp. XXIII. & Archiepiscopi tempore Martini V. in litteris dd. Pontificum (*Memor. Sypont. pag.* 74. *M. &* 7. *R.*) probauerimus contradictionem Sypontinorum, & litem illicò secutam, & continuatam post Bullam Bonifacij IX. cumque de hac postrema lite constet anni 1607. & seqq. videntur non necessariæ cœteræ medij temporis nostræ probationes: eo quòd extremis probatis media præsumantur. *Seraph. decis.* 1141. *numer.* 3. *Buratt. decis.* 294. *numer.* 10. maximè iure nobis assistente, & Aduersarijs probandi onere grauatis.

DICO SEPTIMO. Omnes actus, Metropolicum ius, & Cathedralitatem inducentes, vel indicantes, Sypontinæ assistere contra Garganicam, & Bonifacij Bullam. Vt sunt,

Denominatio, vt dixi, Archiepiscoporum, & Ecclesiæ Sypontinorum tantùm in Actis Romanæ Curiæ, & Diœcesanis.

Subiectio totius Diœcesis, & Ecclesiæ Vestanæ suffraganeæ: quæ semper, & præsertim vacante Sede, Metropolim vnam Sypontinam seu Manfredoniam agnoscunt, & obtemperant: quamuis ipsæ Diœcesanæ Terræ (nouem numero) & Ciuitas Vestana propè Pagum Montis S. Angeli, in ipsomet Gargano Monte, consistentes, longe à Manfredonia recedant. Et singulis annis Archipresbyteri Diœcesani, vt prædiximus, Manfredoniam conueniunt Die festo S. Laurentij Sypontini, ad subiectionis signum profitendum, singulatim in Metropolitana e suggestu proclamati.

Consecratio SS. Oleorum die Cœnæ Domini: quæ tantummodo fit in Metropolitana Sypontina seu Manfredonia. De qua est particularis text. pro Sypontina *in cap. Te referente. de Celebrat. Missar. vbi Glos. & DD. quorum aliquos habes in Memor. Sypont. pag.* 58. *& seq. B. C.*

Celebrationes Synodorum tum Prouincialium tum Diœcesanorum: quæ semper Manfredoniæ actæ fuerunt. Vt probat Prouincialis Synodus Cardinalis de Como, impressa Venetijs an. 1567. *in Memor. Sypont. pag.* 32. *A.* Nam alioqui si Garganica

vero-

vt Concathedralis haberetur, alternatim Synodi celebrarentur. *Barbos. Summ. Apost.decis.collect.288.nu.4.*

Mytrarum vsus, & prærogatiua, quibus Sypontinæ solæ gaudent Dignitates à Cælestino Pp. III. Argumentum continuatæ Manfredoniam Ecclesiæ Sypontinæ: & non secuti effectus Bonifacij Bullæ, Sypontina priuilegia quæcunque Garganicæ communicantis. *DD.& Gloss.in can.Et temporis.16.quæst.1.& in cap.1.Ne Sed.vac.*

Sanctorum reliquiæ quamplures, & præsertim corpus S.Laurentij Episcopi Sypontini (cui S. Archang. Michael sub Gelasio I. an. circiter 492. apparuit) quod Manfredoniç, integrum ante Turcarum inuasionem anni 1620. post eam frustillatim & penè dispulueratum, brachio tamen integro, reconditur. Quod item continuatæ Manfredoniam Ecclesiæ Sypontinæ est argumentum. *Mandos.in Prax.Signat.Grat. de Translat.§.si in Parochiali, vel alia Ecclesia.* Garganicos verò vsque ad an.1610. nullas prorsùs habuisse SS. reliquias, fatetur ipsum Capitulum Garganicum apud Paulum V. (*in Memor. Sypont.pag.13.G.*) ibi: *Cum in Ecclesia S. Michaelis Montis Gargani, Sypontinæ Diœcesis, nullæ omninò adsint SS. reliquiæ: Supplicant humil. Capitulum, & Canonici dictæ Terræ quatenùs &c.* Comprobatur ibid. *pag.33.litt.D.*

Matrimoniales litteræ Apostolicæ, aliarumque rerum, ad Garganicos ipsos spectantes, Vicario Sypontino, nunquam Garganico, directæ. *Vt in Memor. Sypont. pag.23.A.& seqq.& pag.19.A. Et 21.E. Et 11.D. E.* Quod Cathedralitatis priuatiuè est argumentum. *Concil.Trident.de Refor.sess.22.cap.5.Coccin.decis.346.num.5. & seqq.*

Seminarium in Cathedralibus erigendum: prout Manfredoniæ erectum fuit, & non in Terra Garganica. *Concil. Trident.sess.23. cap.18.* Cumque Turcarum incendio ab anno 1620. fuerit dimissum, SS.Pontificum sollicitudo electis Archepiscopis eius instaurationem in proprijs Bullis inculcant his verbis: *Volumus autem quod tu Pœnitentiariam ac Theologalem Præbendas, & Seminarium ad præscript. Conc. Trid. erigas, ac in Ciuitate Sypontina Montem Pietatis in pristinum restitui cures. Conscientiam tuam in his onerantes.* In Memor. Sypont. *pag.67.E.* Et quoniam, dum hæc scribo, Præsule orbatur nostra Sypontina Ecclesia, Deum precor, & efflagito, vt tanti oneris conscium pium hominem sortiamur Pastorem.

Publica vox, & fama. Quisnam etenim, siue Romæ siue in toto Orbe Christiano, audiuit vnquam Archiepiscopum Monti S. Angeli, seù Gargani. Manfredoniæ Archiepiscopum vulgaris sermo vocitat, Sypontinum Antistitem latinæ aures exaudiunt.

Regia Curia Neapolitana: quæ nouis Præsulibus, vt *Manfredoniæ Archiepiscopis*, placitum Regium impertitur: illosque indicit *Diœcesi Ciuitatis Manfredoniæ*. Vt in litteris Regijs *Memor.Sypont.pag.67. litt. E. F.*

Actus possessionis ab Archiepiscopis captæ spontè, legitimè, semper, & necessariò, in Metropolitana Sypontina. *Innoc.in cap.In litteris.de Restit.spoliator. num.7. vers.credimus autem.* Cuiusmodi non sunt recentes actus, delusæ ab Archiepiscopis Garganicorum interrogationes, & ab eisdem Garganicis instrumenta proprio mar-

lebrantur cum Octaua. Nam si vtique in Garganica adhuc Sypontina inesset Ecclesia, celebritates istæ vtrobique fieri deberent. *Rot. in Cæsaraugust. Cathedralit. Bichio. 21. Jun. 1655. §. Antiquæ imagines.* Festum verò S. Michaelis, quod cum vniuersa Ecclesia die 8. Maij Garganici celebrant, Cathedralitatem arguit nullam, sed Archangeli Apparitionem.

OBIECTIONES Aduersariorum quæcunque, ex prædictis facilè refelluntur. Vnam tamen, quam ficte exagerant, nouam excogitationem prætetire non duco: *de qua in 8. & 9. Artic. & præcedenti eorum positione in Rota: & iam in Signat. Grat. & in Sac. Cong.* Dicunt igitur: Syponto, & Ecclesia iam in Garganicam Terram translatis, Manfredoniam post multa secula recens insurrexisse: vt propterea Garganici ipsi sint Sypontini, nos vero Manfredonij. Scripsisse quidem summa hyeme videntur, ideoque frigida nimis inuestigatio: nam si die 8. Maij quarta lectio ipsis occurrisset *in Breuiar. de Apparitione S. Michaelis*, Garganicos eorumque Ecclesiam in Montis iugo, Sypontinos verò ad radices, vbi est Manfredonia, inspexissent. ibi: *Gelasio I. Pont. Max. in Apulia in vertice Gargani Montis, ad cuius radices incolunt Sypontini, Arcangeli Michaelis fuit illustris apparitio.*

Notant Ioann. XXIII. (*vt in Memor. Sypont. pag. 74. M.*) Manfredoniam vocasse Terram, ibi: *Exhibita Nobis, pro parte dilectorum filiorum Capituli & Canonicorum Ecclesiæ Sypontinæ, petitio continebat. Quòd olim Bonifacius Nonus &c.* Et infrà. *Cum autem; sicut eadem petitio subiungebat, & multorum fide digna relatione percepimus; ex erectione huiusmodi inter Capitulum & Canonicos prædictos, & dil. filios Clerum & Populum Ciuitatis Sypontinæ prædictæ, & Terræ Manfredoniæ, ex vna; nec non Terræ Montis S. Angeli ex alia parte, turbationes, lites, & scandala plurima sint exorta: & in futurum formidantur ampliùs exoriri, nisi per Apostolicæ Sedis remedium occurratur. &c.*

In litteris Martini V. successoris (*Memor. Syp. pag. 7. R.*) repetuntur, Archiepiscopo & Capitulo supplicantibus, eadem verba & Bulla d. Ioan. XXIII. Manfredonia tamen Ciuitate nuncupata, ibi. *Nihilominus tamen Ioannes olim Pp. XXIII. informatus quòd ex nominatione, & erectione huiusmodi, inter habitatores Ciuitatis Manfredoniæ, & dictæ Terræ Montis S. Angeli, turbationes, lites, & scandala forent exorta, & timerentur in futurum ampliùs exoriri; dictam Vnionem reuocauit, & d. Ecclesiam Sypontinam in pristinum statum reduxit: prout in litteris Apostolicis pleniùs continetur.*

Respondeo tamen. Ex relatis verbis, & tota Bulla reuocatoria Ioan. XXIII. tria certissimè firmantur. *Primum*: Ecclesiam Terramque Garganicam non fuisse ante Bonifacium IX, nec esse post ipsum Ioannem reuocantem Bonifacii Bullam, Cathedralem nec Ciuitatem. *Secundum*: Capitulum Clerum & Populum Ciuitatis Sypontinæ, tempore Ioannis eiusdem, viguisse & extitisse. *Tertium*: Commune fuisse negotium Capitulo Clero & Populo Sypontino cum Manfredonia, aduersùs Garganicam Terram.

Bonifacius verò IX. in famosa Garganicis Bulla (*Memor. Sypont. pag. 74. in fin. Et in Collect. Garg. pag. 6. §. Bonifacius*) data duodecim annis ante Bullam ipsam Ioan. XXIII. sic ait: *Cum itaque, sicut ipsa veritas & facti euidentia manifestant, Ciuitas Sypontina adeò diruta neglecta ac desolata iaceat, quòd à multis annorum circulis nul-*

lus

lus in ea moram traxit : nec speratur quòd in futurum aliqui sint mansuri. Idemque Bonifacius alibi in ead. Bul. tum virtualiter tum explicitè affirmat, Sypontinam Ecclesiam extare, suisque gaudere priuilegijs: quæ proinde communicat Garganicæ. Et dum Vnionem agit, necessariò conterminorum præexistentiam supponit.

Sed quæro. Vbinam aderant Ciuitatis Sypontinæ Clerus Populus & Ecclesia, existentia testimonio istorum PP. & acerrimè litigantia contra Garganicos: si Ciuitas Sypontina omninò desolata iacebat? Vnica est responsio, Manfredoniæ extitisse. Concludendum est igitur: tempore istorum Pontificium (nempe an. 1401. & infra) Ciuitatem Sypontinam, materialiter sumptam pro lapidibus & situ primæuo & loco, destructam & desolatam iacuisse: formaliter verò acceptam, & iuridicè, pro Ciuibus & Clero, Manfredoniam esse.

Quam centum quinquaginta ferè annis ante istos Pontifices, anno scilicet 1256, ædificatam fuisse à Manfredo Rege, in Sypontino portu suburbano. milliare tantùm à priore Syponti Vrbe recedente, Sypontino Populo rebusque omnibus in eam translatis, imò ex *Sy*ponti lapidibus amica fabrorum manu ruentis extructam, disertè & indubitanter probo ex quamplurimis grauissimis historicis, & cum Manfredo Rege contemporaneis, *in Memor. Sypont. pag.* 58. *& seqq.*

His positis. Hæc singularis denominatio incidenter emissa in Bulla Ioan. XXIII. non est attendenda: cum enunciatiuæ, etiam Papæ, cedant veritati, & enunciatiuis aliorum Pontificum. *Rota in Montis Regalis iurisdiction. Penia,* 18. *Decembris* 1598. *num.* 11. *vsque* 17. *mihi in impress. Venet. dec.* 586. Et innumeras affero cæteror. Pontif. litteras *in Memor. Sypont.* Ciuitatem Manfredoniam nuncupantium. Vbi Iulius III. iam Archiepiscopus Sypontinus, *pag.* 8. *litt. V.* motu proprio, & scienter dicit: *Ciuitas Sypontina Manfredonia nuncupata*.

Eoque magis quia hæc denominatio videtur emanata à Procuratoribus Romæ: qui facilè errare potuerunt auditis nominibus Manfredoniæ & Syponti: putantes duas esse Vrbes actu existentes. Vt in simili perpendit Seraph. *decis.* 1278. *numer.* 3. *vers. Neque etiam obstare quòd Abbas in Rota obtinuerit*.

Et nedum in facto, sed etiam in iure, & quæstione difficili, errare potuerunt qui supplicem libellum Ioanni Pp. dederunt: opinantes desolatum locum & vestigia Syponti antiqui, adhuc habitu Ciuitatis iura conseruare. Ad quæ si fuissem tunc temporis respondissem: Ciuitatem antiquam habitu existere, vsque dum subest spes reædificationis: quando verò vix vestigia Ciuitatis sunt relicta, & in ea aratum est inductum (prout modò fit in veteri Syponti solo) Ciuitas antiqua non dicitur ampliùs Ciuitas. Ita Rota *per Coccin. decis.* 129. *num.* 3. *&* 4: *Bald. cons.* 368. *Nunc venio ad merita. in fin. lib.* 1. *Rota recent. tom.* 6. *dec.* 221. *nu.* 22. *&* 24.

Vt optimè etiam Rota (*coram Penia in Toletana Decimarum,* 13. *Iun.* 1592. *nu.* 5. *& seqq. in impress. Venet. decis.* 93. *& in Lugdun. decis.* 117.) dicens: Castrum destructum, & alio translatum, retinere iura quæ ante habebat: Et satis esse reædificari

pendit destructionis actum Castri antiqui statim secutæ post extructionem Castri noui: vnde fortius subrogationem arguit. Et de Castro nouo iuxta antiquũ quòd huius naturam sumat, bene etiam Boer. *decis.*122. *Decian. cons.*43. *numer.* 14. *& seq. lib.*3. *ver. circa secundum. Bellon. cons.*1. *Visis scripturis num.*8. *vers. Quinimò*. *Alex. cons.*193. *ex themate num.*7. *lib.*2. Sed videantur, vt dixi, triginta fere probati Scriptores *(in Memor. Sypont. pag.* 58. *& seqq.)* mirabiliter asserentes de identitate morali & formali inter Manfredoniam & Sypontum: & de Manfredoniam translata Sypontina sede.

Nec obstat quod *Num.*11. Aduersarij articulent: In antiquo Syponti loco extare adhuc Ecclesiam quandam, vel partem Cathedralis antiquæ. Concedimus enim hilari animo, in veteri Syponti solo sacellum adesse B. Virgini dicatum (nam de Cathedrali diruta sensu patet: & oculatim testatur Leander Alberti, *vt in Memor. Sypont. pag.*63. *M. D.*) sed quando Ecclesia ad alium locum transfertur, relinqui debet in priori loco aliquod sacellum: vnde Signatura solet addere hanc clausulam: *Dimisso ibidem aliquo sacello, in signum translatæ Ecclesiæ*. Vt ait Mandos. *in prax. Signat. Grat. de Translat.* §. *Additur etiam*. vbi pauló ante dicit, quòd facta translatione prior Ecclesia amittat iura sua, quæ transeunt in nouam. *Confirmat in terminis Rebuff. in prax. Benef. de Translat. Episcop. numer.*17. *&* 19. inutilis tamen est obiectio: quæ aduersatur etiã identitati inter Garganicam, & Sypontinam à Causidico Garganico excogitatam.

At de Delfica vmbra disseruisse videbor. Nostra siquidem disputatio est: An Ecclesia S. Michaelis sit Cathedralis. Si non esse constabit: profectò terrarum alibi erit Cathedra Sypontina. Quo casu, nos Garganici sinant cum veteri Syponti solo & lapidibus contendere. Cumque Ioannis XXIII. & Martini V. litteris præcitatis, iam tum Manfredoniæ Sypontinam Ecclesiam (vel translatè, vel instauratiuè, vel moraliter identicè) constitisse cernatur: diuersa videtur quæstio de Syponto & Manfredonia. Potest enim fieri, vt in Vrbe etiam extranea Cathedralis aliqua persistat Ecclesia. Vt Nazarenam insignem Cathedram, in Barolo Tranensis Diœcesis Oppido, Manfredoniæ propinquo, adesse videmus.

Minus obstat quod nouissimè, sacram ancoram soluentes, Aduersarij exagerarunt, nempe: Manfredoniam Ecclesiam absurdè dici Sypontinam, cum dicata sit S. Laurentio Episcopo Sypontino: qui erat anno 492. quo sub alio titulo necessariè Sypontina colebatur Ecclesia.

Hoc eodem argumento ipsos possem redarguere: cum neque Garganica antiquo Sypontinæ titulo nuncupetur. Dico tamen ingenuè, me nondum compertum habere, an nostra Ecclesia S. Laurentio Episcopo, an Martiri, an demum alij Numini dicata fuerit. Nec magnifacienda est vulgaris vocitatio, vel fortè etiam opinio: cum Lateranensem quoque Basilicam, quæ Saluatori Christo Domino verè dicata est, ex adiacente S. Ioannis Ecclesia à Constantino iuxta constructa, eiusdem Præcursoris nomine appelletur. Certè nostræ Ecclesiæ ara maxima S. Laurentio Episcopo [illegible] insignita.

Sed ergo S. Laurentio Sypontino tribuatur. Sexcenta enim extant exempla Cathedralium, quæ nouum sibi titulum passim vendicarunt. Vt nunc occurrunt Ecclesiæ Sulmonensis & Valuensis: quarum illa S. Pamphili dicitur, cum antiquitus

Cathe-

Cathedralis esset sub inuocatione B.Mariæ Virginis: Hæc verò iam ab anno 700. Cathedralis item existens, post translationem corporis S.Pelini, ipsius Sancti nomine nuncupatur. *Teste Gratian.discept.893.num.2. & 22.* Nos autem, cum de Cathedrali Ecclesia contendimus, non intelligimus Sypontinum delubrum cum omnibus accidentibus, Angelorum ministerio, Augustissimæ instar Lauretanæ, Manfredoniam processisse: sed intendimus de Dignitate Capitulo & Clero Sypontinis, quæ Ecclesiæ appellatione veniunt *(cap.Relatum est aurib. & cap.Requisiti.de Testam. Feder. de Sen.quæst.296. num.2. Quidam in suo testam. in princ.)* &, mutato licèt Templi nomine, eadem semper esse dicuntur. quo sensu dici solet, Ecclesia non moritur: neque est matrimonium inter Episcopum &. materialem Ecclesiam; *vt benè dicit Aegid.Bellam.cons.20.nu.11.*

Cæterum, Sypontum viguisse & extitisse, quando Manfredus Rex Manfredoniā ædificabat, euidentissimè sic probo (præter antiquos historicos id affirmantes *in Memor.Sypont.pag.60. & seqq.*) Manfredonia condita fuit anno 1256. vt affirmant omnes: & nota sunt tempora Manfredi: *& ait Summont.in Memor.Sypont.loc.cit.D.* Honorius III. qui obijt an.1227. decreuit: vt die Cœnæ Domini Archiepiscopus Sypontinus in Ecclesia Sypontina dumtaxat Missam celebret, & sacrum chrisma conficiat: nihil obstante, quòd eodem die ad Garganicam Ecclesiam soleret accedere ad recipiendos peregrinos illius loci. *vt in integra Decret. Honor. III. & ibi Glos.& DD.in Memor.Sypont.pag.58.B.C.* Ergo ex corpore Iuris constat, Sypontinam Ciuitatem & Ecclesiam extitisse, & acerrimè Garganicos oppugnasse vsque ad an.1227. nempe nouem & viginti annis ante Manfredoniæ constructionem. Nunquid igitur dicemus tempore tam breui 29.annorum Sypontinum populum omnem & Clerum perijsse?

Sed esto perierit. Nihilominus dico, Collegialitatem & Vniuersitatem esse aptam conseruari habitu in vno solùm. Imò plus dico: Ecclesiam remanere Parochialē habitu, licèt omnes parochiani moriantur: cum possint redire qui discesserunt, vel alij accedere in locum defunctorum, Hæc omnia Rota *recent. tom.6. decis.221. numer.25.& 26. Seraph.decis.1050.num.5. Alex.cons.74. Viso puncto.in princ.& num.2. vers.faciunt. lib.4. Calder.cons.523. aliàs 8.de priuil.*

Extollunt Aduersarij tres authoritates. Prima sunt fabellæ quædam, quas de inclita Ciuitate Montis Gargani modernus scriptor Cæsar de Engenio anno 1622. superaddidit paruulo libro, cui titulus *Il Regno di Napoli diuiso in dodeci Prouincie*: leui quodam homine Garganico suggerente: qui, sub vsurpato *Colantonij Dentices* nomine, magnificè allegatur; cum verè in nostra Regione *Caristæus* cognominaretur. *(De quo dico in* Memor. *Sypont. pag.56.§. Ad authorem).* In eo libello, *vbi in XII.Prouincia, Capitanata, agitur de Monte S.Angeli, & Manfredonia*, dicunt Engenius & Caristæus: S.Laurentium Episcopum, secuta Arcangeli apparitione, confestim Ciuitatem Garganicam ædificasse, quadraginta Ecclesijs in ea constructis (miror quod non dixerit potius creatis): Responsorium quoddam ponunt, quod nunquam vidimus nec audiuimus: Garganicam Ciuitatem fuisse Cathedralem iam

Memor.Sypont.pag.1. & seq. De Manfredonia etiam multa dicunt, vt sunt ista. *Fù dal Rè Carlo ordinato, che questa Città nō si chiamasse Manfredonia, ma Nouello Siponto. Di presente si chiama Manfredonia. La quale fù da Gregorio XII. Gio. XXIII. e Benedetto XIII. di Luna (se pure essendo tutti trein vn tempo meritano nome di Pontefici) honorata del Priuilegio della Chiesa Sipontina: aiutata in questo dal Rè Ladislao, che diede l'esecutione alle Bolle di detti Pontefici.* Parum non est, quòd saltem aliquando Cathedrales nos faciant in ipso Elogio Ecclesiæ Garganicæ.

Secunda authoritas est Marini Frezza iuristæ, non autem historici vt qualificant Aduersarij: qui *in libro de Subfeudis, vbi de Episcopis Regni*, recitat Garganicorum somnia de Cathedralitate obtenta ab Alexandro III. Marina tamen hæc iacula non feriunt, respondente ipso Alexandro, & diffinitiuè decernente contra Garganicos: confirmato Decreto à seqq. Pontificibus. *Memor.Sypont.pag.2. litt.F. & seqq.*

Tertiò loco allegant Prouinciale quoddam antiquum, impressum in calce Practicæ Cancellar. Hieronymi Pauli, vbi legitur: *Archiepiscopus Sypontinus, vel Montis Gargani.*

Respondeo, *Mons Garganus*, vel etiam S.Angeli, nomen esse Regionis non Oppidi: Diœcesis enim Sypontina omnis in Gargano Monte consistit. Terra autem Garganica verè *Castrum S.Angeli*, vel *S.Angelus*, nominatur, vt probant Leander Alberti, Blondus Flauius, Andreas Baccius, & alij *in Memor.Sypont. præsert.pag.63. & seq.* Quare infirmum est argumentum quod ab hoc nomine Aduersarij sæpè deducunt. vt in simili de hoc nomine *Valuensi* aduertit Gratian. *discept.893. num.34.* Dico igitur, Prouinciale illud non coniunctim, sed alternatiuè & demonstratiuè loqui. Et absque hac geminatione duo alia Prouincialia afferimus *in Memor. Sypont.pag.62.L. & 64. in princ.* quorum postremum hodie attenditur in Curia. Sed has omnes authoritates improbat solemnis eorum Bulla Bonifacij, firmantis vsque ad annum 1401. datæ Bullæ, Terram & subiectam Sypontinæ Garganicam perstitisse.

Conantur tandem Causidici Garganici, in datis Articulis, Garganicam Terram extollere: illius præcellentiam ex eo potissimùm, cum Caristæo, demonstrantes; quòd Neapolitanorum Regum Primigenæ sese nominauerint aliquando *Signori dell'honore di Monte S.Angelo.* Ad quæ dicimus: ergo homines absque honore erant Garganici, qui Regis erat. Porrò Baronalem, asperum, humilem & incultum Pagum Garganicum Manfredoniæ opponere; Vrbi Regiæ, nobili, magnificè miraque forma extructæ, emporio portuique celebri, ac Prouinciæ & Regni Arci munitissimæ; testudinem est Pegaso comparare. Vt de ea legendi sunt Leander Alberti, alijque topographi scriptores: imò Caristæus ipse, siue Eugenius Garganicorum Encomiastes, *in citat.loc.* de structura Garganici Pagi & decore nil effingere potens præclari, de Manfredonia tamen hæc loquitur. *Fù fabricata questa Città molto nobilmente, e ben intesa: posta in quadro oblongo, con le sue strade dritte e belle: che di bellezza di sito hà poche Città pari: gira vn miglio e mezo in circa: Hà molte Chiese, e Monasterij: & è molto ciuile.* Nec extra rem scribo: siquidem in conspicuis Vrbibus Cathedras esse constituendas, Canonica lege sancitum est. *can.Episcopi. dist.80. cap.1. de Priuil.*

Ex

Ex quibus concludendum videtur. Plenè constare de non Cathedralitate Collegiatæ Ecclesiæ S.Michaelis Terræ Montis S.Angeli seu Gargani. Proinde, negata Remissoria, standum esse in decisis à S.Congreg. Episc. & Regul. sub accuratissimo & optimo Ponente Cardinali Franciotto.

Gabriel Tontoli, Sypontinus, Metrop. Eccles. & Vniuers. Presbyter & Deputatus.